



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas I. Præmittuntur quædam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

2. RATIO vindicativa duos actus principales habet, punire reum, & non punire innocentem. Ergo, & distributiva habebit duos actus principales, distributionem bonorum, & non gravationem oneribus.

RESPONDETUR. Punitio nocentis, immediate respondet non punitio innocentis: quia punitio primo intendit vindicativa, quâ talis; distributio autem honorum, & distributio onerum, non sunt, tanquam opposita, in primo intento. Primum enim intentum distributivæ, est distributio, cui contraria non est alia distributio, sed non distributio. Consequenter, cum contrariorum eadem sit disciplina, punitio & non punitio; distributio item & non distributio, ad eundem habitum revocantur, non autem distributio onerum: quia hæc non videtur esse quid contrarium primo intento, nempe distributioni: consequenter majore titulo non punitio innocentis spectabit ad vindicativam.

3. RATIO ejusdem est. Quia virtutes morales in objecto suo attendunt ad medium. Ergo, & distributiva in distribuendis oneribus communibus, intendere debet honestatem, quæ est in medio.

RESPONDETUR. Ipsum subjectum illationis probari debuisse: nempe quod distributio onerum, spectaret ad distributivam, quæ etiam sine distributione onerum, staret in medio, scilicet, non dando plus vel minus, quam mereatur aliquis comparatè ad alios. Hinc

RATIO illati fit. Tum quia. S. Thomas hic q. 61. a. 3. in corpore ait. *Est etiam quedam, inquit, distributio laboriosorum operum.* Ly autem quedam non ideo ponitur, quasi ad aliam virtutem id spectet, sed est particula divisiva, significans, quod, quidem distributivæ actus, sit distributio onerum, quod vel exinde colligitur: quia illic universaliter discurrit de materia hujus virtutis, in divisionibus autem universalibus Ly quidam vel quedam est particula divisiva. Unde etiam ibidem sub Ly quedam ponit S. Thomas *recompensationem collativam bonorum*, quæ indubie spectat ad distributivam. Tum quia; attendendo virtus aliqua ad principale, attendit etiam ad ea, quæ revocantur ad principale; jam autem est quoddam bonum, ratioq; participandi communia non participare plus de oneribus civitatis. Tum quia. Hoc, quod non est gravari plus oneribus communitatis, spectat ad aliquam virtutem: potest enim honesta actione, adeoque virtuosa fieri: Ergo, vel revocari debet ad aliquam virtutem; vel constituere specialem virtutem. Ergo, cum illam non constituit: vel hoc ipso quia revocari potest ad distributivam revocabitur. Quod autem revocari possit ad distributivam. Ratio est, quia distributiva attendit ad habitudinem communitatis erga partes. Ergo, cum hæc habitudo sit etiam circa onera, attendet ad hoc

distributiva. Licet secundum aliquam formalitatem, id revocari possit, etiam ad commutativam, in quantum privatus jus habet, ne gravetur præ aliis.

QUÆSTIO III.

De iustitia vindicativa.

PRÆMITTETUR imprimis doctrina S. Thomæ de vindicatione, & alia huc concernentia; postea accedet ad ea, quæ scholasticè discuti solent.

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur Quedam.

PRÆMITTO I. *Vindictam esse licitam, cujus Rationem dat S. Thomas hic. q. 108. a. 1. Vindicta fit per aliquod penale malum, inflictum peccanti: est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus: si enim intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum, quia delectari malo aliterius spectat ad odium, quod charitati repugnat, quæ omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur si malum intendat illius, qui sibi injustè intulit malum: sicut non excusatur aliquis per hoc, quia odit se odientem &c. Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per penam peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus & quietem aliorum, & ad iustitia conservationem & Dei honorem, potest esse vindicta licita, aliis debitis circumstantiis servatis.*

Circa hanc Rationem S. Thomæ inquiri posset, quare aliquis virtuosè non possit delinquenti optare malum, quia malum est? diciq; posset, quod non pertineat ad odium illicitum, eò quod non omne odium charitati repugnet, repugnantia prohibitionis, licet repugnet repugnantia prædicatorum oppositorum ad invicem. Quod autem non omne odium repugnet charitati seu gratiæ, repugnantia prohibitionis, exinde deduci posset: quia odium boni alicujus hominis repugnat charitati; sed non odium mali; idq; ideo, quia charitas non vult improporari objecto actum, hinc si objectum sit malum, non vult illud amari, sed odio haberi. Retinenda tamen ratio S. Thomæ, quia vindicta est actio honesta, debet ergo honestum formale habere, honestum autem formale non est optare malo malum; quia malum est; cum hoc ipsum formale, sit commune, etiam cæteroqui prohibito odio. Deinde, quia attendendo ad rationem dubitandi, & sifteretur in malo, quâ malum est, ut supponitur, & non sifteretur: quia vellet illud malum non utcunque, sed quia amor malo non debetur, adeoque non sistendo præcisè in ratione mali.

* K 3

PRÆ-

PRÆMITTO 2. *Vindicationem esse specialem virtutem.* Ratio ex S. Thoma est, ibidem. Articulo 2. *Aptitudo ad virtutem inest nobis à natura, licet complementum virtutis sit per assuetudinem, vel per aliquam aliam causam. Unde patet, quod virtutes perficiant nos ad prosequendum debito modo, inclinationes naturales, quæ pertinent ad jus naturale.* Et ideo ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam, ordinatur aliqua virtus specialis. *Est autem quadam specialis inclinatio naturæ ad removendum nocumentum. Unde & animalibus datur vis irascibilis, separatim à concupiscibili. Repellit autem homo nocumentum per hoc, quod se defendit ab injuriis, hoc autem pertinet ad vindicationem.*

Hoc principium, quod quando est specialis inclinatio naturalis sit etiam specialis virtus, alibi probatur. Nunc etiam hoc addi potest, quod natura non multiplicet entia sine necessitate, multiplicaret autem, si data inclinatione naturali ad defendendum sese à nocumento, non daretur virtus specialis defensiva: esset enim illa inclinatio perfectibilis, & non haberet perfectivum sui, virtutem; consequenter otiosa & sine necessitate esset illa perfectibilitas.

PRÆMITTO 3. *Vindicationem posse nullo modo spectare ad justitiam:* quia possumus sola philanthia moveri ad appetitum vindictæ.

PRÆMITTO 4. *Posse etiam vindictam revocari ad justitiam, licet non sit rigorosè justitia.* Quod possit revocari ad justitiam.

RATIO est. Tum quia. S. Thomas cit. a. 1. ponit vindictivam partem justitiæ. Tum quia. potest dari jus ad ponendam vindictam in gubernante, potest item poni ab eodem æqualitas pœnæ cum delicto. Ergo, vel ex his duobus, poterit revocari vindicta, ad justitiam. Tum quia. Cum Aristotele Ethici appellant judicem jus, seu justitiam animatam. Ergo, & actus illius, quæ tales, erunt vitalis justitia, inter quos actus, primum locum occupat vindictio.

Quod autem vindictio non sit rigorosa justitia.

RATIO est. Tum quia. Non respondet ei debitum justitiale, hinc non facit injustitiam judicis reus, si se subducatur judici. Tum quia. Ubi est rigorosa justitia, tunc respectu illius, cui illa præstatur, habetur jus, & in præstante debitum. Jam autem non habetur jus in reo ad pœnam, quæ illi à judice exhibetur. Tum quia. Obligatio gravans judicem, est per ordinem ad communitatem, à qua ille non habet perfectam alteritatem, consequenter nec intercedet illic, justitia rigorosa.

PRÆMITTO 5. *Secundum aliquas considerabiles, vindictivam revocari, & ad commutativam & ad distributivam.* Ad commutativam quidem; quia Princeps aut judex ex contractu cum Republ. tenetur punire delicta, & secun-

dum hanc rationem contractus, revocabitur ad commutativam, & ad hoc respexit S. Thomas hic q. 108. a. 2. ad 1. pertinet autem etiam ad distributivam: quia pœna est per modum oneris, onera autem distributiva etiam claudit; habetque se ita vindictiva in irrogatione pœnæ, ut distributiva in collatione honoris.

Cum hoc tamen stat, ut habeat adhuc proprium suum formale vindictiva: nempe honestatem æqualitatis ponendæ pœnæ ad delicti conditionem, ex qua postea æqualitate, pullulat bonum commune pacis, privatorum &c.

DICES 1. ex Esparza q. 21. Vindictiva habet hoc ex genere suo, ut non tam ordinetur in utilitatem ejus, circa quem exercetur, quam in utilitatem aliorum: nam reus ratione delicti comparatur jumentis insipientibus. Cumque homo ob dignitatem naturæ rationalis, hoc habeat proprium, ut sit & ametur ratione sui, utque ordinentur ad ipsum & in ejus utilitatem, quæ circa ipsum aguntur, ratione peccati, ordinatur in bonum aliorum, ut bruta. Est autem de ratione particularis justitiæ strictè talis, maxime verò commutativæ, ut jus suum unicuique tribuat, suum utique suitate proprietatis. Et rursus de ratione hujus juris est, ut intersiat propriè utilitati subditi, cum tamen infligatur pœna delinquenti, licet prævideatur non esse profutura tunc, cum purè pœna est.

RESPONDETUR. Quod hæc ratio solum probet, vindictivam non esse rigorosè justitiam: quia non exercetur in utilitatem ejus, cui impenditur; ejus oppositum fit in aliis justitiis. Deinde parum refert, quod id fiat in aliis justitiis, rectè transfertur ad aliam, quando illud contingere oritur, ex generico prædicato justitiæ; jam autem non est hic conceptus genericus justitiæ, ut exhibeatur in utilitatem ejus, circa quem exercetur: cum ipsa respicientia utilitatis, præcisè non spectet ad justitiam: unde multi hanc respicientiam, referunt in vim gubernativam.

DICES 2. cum eodem. Etiam relatè ad Rempubl. non erit punitio actus commutativæ: quia dux militiæ etiam si paciscatur cum Republ. de ejus incolumitate, pugnat nihilominus per virtutem fortitudinis, & non per virtutem commutativæ. Ergo, & judex non faciet id per commutativam, sed per vindictivam.

RESPONDETUR. Etiam dux militiæ, licet pugnet elicitive per virtutem fortitudinis, nihilominus illos actus imperat commutativa, consequenter, etiam commutativæ intercedet tunc actus. Ergo, & judex per vindictivam puniendo, adhuc sub alia formalitate, faciet actum commutativæ comparatus ad Rempubl. Per hoc tamen non negatur, vindictivam habere etiam, ut dictum, speciale, suum motivum.

DICES

DICES 3. cum eodem. Punitio habet honestatem suam peculiarem independentem immediate & formaliter ab omni jure proprietatis, obligatioque judicis, quâ adstringitur Reipublicæ, solum efficit, ut per virtutem commutativæ imperet actum punitonis.

RESPONDETUR. Concedo totum. Sed inde non sequitur sub aliqua formalitate, non posse illam revocari ad commutativam.

DIFFICULTAS II.

De Regula vindicandi in Iudice.

Sensus tituli est: An Iudex debeat judicare secundum allegata & probata, idque, etiam si oppositum, norit verum. Est ergo in hoc difficultas, quaestionem facti applicant allegationes & probationes, notitia privata judicis, eaque certa, & evidens applicat aliter factum, quaritur ergo in formando iudicio seu conclusionem, debetne accommodare sese allegatis, ut dicat: Ergo est puniendus, an se debet accommodare suæ notitiæ, ut inferat conclusionem. Ergo, non est puniendus.

Divisi sunt in hoc puncto Auctores. Aliqui dicunt, quod debeat Iudex sequi propriam notitiam. Ita ex Juristis Abbas, Martinus, Panor. mit. Oldendorpius apud Covarruvias. Ex Theologis Lyran. Ang. Sa. & alii. Oppositum S. Thomas hic q. 67. a. 2. 64. a. 6. ad 3. Cajet. Valent. Sylvester & alii. Medias Sententias refert plures Dicaft. d. 4. n. 8. Lugo autem d. 37. n. 15. cum sententiam hanc S. Thomæ valde esse probabilem docuisset, propter Auctoritatem S. Thomæ, tandem media via it; quod Iudex secundum allegata & probata, contra privatam certam in oppositum sententiam, non possit discernere in causis criminalibus, vel mutilationibus; possit in minoribus, quod etiam docuit Lessi. Navarrus, Konink.

DICENDUM EST. Probabilius esse, spectatara-tione, quod Iudex non possit damnare secundum allegata & probata, quem alias norit esse certa notitia innocentem.

PROBATUR 1. Si Iudex posset in tali casu damnare innocentem, falsificaretur universalis regula morum, quæ hoc ipso nec foret universalis, nec regula, si falsificaretur: quia regulæ tales, vel sunt principia moralia, lumine naturæ nota, vel proximè deducta: lumen autem naturale, & tales deductiones, supple certæ & evidentes, non possunt fallere, sequela probatur. Regula morum universalis est ad malitiam contrahendam, sufficit etiam indirectum voluntarium. Item non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Item concurrente duplici formalitate mala & bona, actio, secundum illas formalitates procedens non potest esse nisi mala, adeoque sequens debiliorem partem. Hæ autem regulæ falsifi-

cantur, si liceret innocentem dicto casu occidere: quia directum voluntarium, haberet satisfaciendi allegatis & probatis, indirectum autem voluntarium, occisionem innocentis, quem novit esse innocentem, advertitque, & tamen vellet damnari, idque ut dicunt oppositi, licitè. Secunda regula falsificaretur: quia fieret malum occidendo innocentem, ut eveniat bonum, observandi leges & allegata. Falsificaretur & tertia Regula: quia si quis æger appetat comedere carnes die veneris titulo sanitatis, vel retinendæ vitæ, ut si extremum fame scat, ex alia parte putet hoc, esse illicitum comedat tamen, verè talis peccabit mortaliter: quia inclinat voluntatem illo partiali motivo malo, quod non deberet sequi. In præsentem autem idem etiam contingeret; nam Iudex uteretur motivo bono, quod est servare leges, & simul malo, volendo innocentem occidere. Si ergo id faceret justè, tunc posset actio fieri justa, & tamen esset ejus unum motivum parziale honestum, & aliud parziale motivum inhonestum, quod fieri non potest, ex dictis circa Majorem assumptam.

PROBATUR 2. Argumento communi. Non potest licitè cognoscere quis eam, quam certò scit non esse suam, quamvis à iudice etiam Ecclesiastico, idque sub pena etiam excommunicationis, adjudicetur alicui, ut illa utatur tanquam sua. Ergo, nec potest licitè occidere innocentem, quem allegata & probata, docent esse nocentem.

RESPONDET 1. Sanch. Sicut licitum est cognoscere eam, quæ invincibiliter putatur sua, ita & licitè erit occidere eum, qui invincibiliter à iudice, tanquam publica persona, putatur esse nocens.

CONTRA. Quia nihil respondetur ad paritatem. Concedo esse licitum cognoscere eam, quæ putatur sua: nam in hoc nulla regula moralis falsificatur; imò agitur secundum illas; quæ tamen scitur certò, non esse sua, non potest cognosci, quamvis adjudicetur à iudice. Ergo, etiam, quamvis licitum sit occidere innocentem, qui invincibiliter putetur nocens, si tamen sciatur illum innocentem esse, quamvis in oppositum dentur allegata & probata, non poterit occidi.

RESPONDET 2. Turrianus. Nullum est jus, quod postulet copulam cum non sua: in præsentem autem casu, est jus, scilicet bonum publicum.

CONTRA. Nullum est jus in copulam cum non sua. Ergo, nec ullum jus, in vitam innocentis. Et quando adjudicatur non sua, idque ad usum sub pena excommunicationis, si est non obediendum, cum tamen sit publicum bonum obedire imperanti decreto. Ergo, nec in præsentem, bono publico obediri debet.

RESPONDET 3. Idem. Probabilem esse sententiam, quod Iudex possit secundum allegata & probata discernere, non est autem pro-